



Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

82. Instrumentum Protestationis factæ ab Abbe Electo, Priore & Conuentu S. Maximini ob iuramentum Hersauiæ in tabulas Archiepiscopales falsò relatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

*Instrumentum Protestationis factæ ab Abbe Electo, Priore
& Conuentu Sancti Maximini ob Iuramentum Har-
sauiae in tabulas Archiepiscopales falso
relatum.*

IN nomine Domini Amen. Tenore præsentis publici Instrumenti cunctis pateat euidenter, & sit notum, Quod anno à Nativitate Domini nostri Iesu Christi, Millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, die decima quarta mensis Nouembris, in mei Notarii publici, testiumque infra nominatorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum præsentia præsens & personaliter comparuert clarissimus & consultissimus Vir Dominus Ioannes Fellerus Pratz Iuris utriusque Doctor, & Consilii Regii Ducatus Luxemburgensis Aduocatus, ad hoc à Reuerendis & Venerabilibus Dominis: Abbe, Priore & Conuentu Imperialis Abbatiae Sancti Maximini prope urbem Treuirensim specialiter constitutus & deputatus Procurator & negotiorum gestor, virtute Procuratorii, cuius tenet sequitur. Nos Agritius Dar gratia Abbas electus, Prior & Conuentus Imperialis Monasterii Sancti Maximini prope Treuiras, Notum facimus omnibus & singulis præsens speciale constitutionis mandatum visuris, lecturis seu legi audituris, &c. Cum ad conseruandam nostram Abbatiam, & Abbatialia nostra Iura, & Iurisdictionalia omnia, illaque aduersus quoscunque insultus et incursus salua et illibata custodienda ac tutanda solemnis et formalis protestatio maximè condicatur, ad quam necessariò in hoc casu confugere debemus, propter prætentum et assertum quendam actum, quem Dominus Archiepiscopus Treuirensis usurpatuè et defacto priuata sua authoritate post electionem suam Archiepiscopalem in dictæ Abbatiae subditos exercuit, arctando et compellendo eosdem ad homagium, sive fidelitatis Iuramentum, et licet iidem nostri subditi dictum Iuramentum iuxta conuentas et transactas qualitates, inter eundem Dominum Archiepiscopum ex una, et Ducatus Luxemburgensis Consilium Regium altera partibus, ratione et occasione confœderationis, vulgo der Herschaw / et non aliter, nec alias, nec alio modo cum expressa limitatione et modificatione præstiterint, nihilominus tamen, quia nobis innotuit benememoratum Dominum Archiepiscopum prætactum illorum Iuramentum ad Ius superioritatis, sive suprematis extensiue, et pro libitu interpretari, et supremæ suæ Iurisdictioni dictam nostram Abbatiam (quæ tamen status separatus, & peruetustum Sacri Romani Imperij membrum immediatum iuxta nouissimam latam & promulgatam sententiam Imperialem de Dato tertio mensis Augusti, Anni Millesimi sexcentesimi vigesimi sexti, cum subditis Abbatialibus subdere & subiugare conari, & totis exinde viribus eniti voluisse; unde est, quod ad obuiandum talibus usurpatius, & tam prauidicitalibus actibus, & nequid exinde detrimenti vel damni nobis, nostræque Abbatiae, & eidem Iuribus, Iurisdictionibus, priuilegijs, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus & concessionibus &c. progeneretur & sub-

oriatur, opera pretium & omnino necessarium esse du^ximus de his protestari;
 Nos eapropter capitulariter in loco & tempore solito congregati, vnamini
 consensu & assensu hunc in finem, & ad hunc actum protestationis validè &
 legitimè nostro nomine faciendum & expediendum, omnibus melioribus
 modis & viâ, quibus efficacius de luce fieri potest et debet; concorditer con-
 stituimus et deputauimus, prout presentibus, et nostro hoc speciali manda-
 to constituimus et deputamus, in eorum et legitimum nostrum Procurato-
 rem, factorem, et huius negotij gestorem, fidelem nobis dilectum Dominum
 Ioannem Fellerum Pratz Iuris utriusque Doctorem, præfatique Consilii Lu-
 xemburgensis Aduocatum, etc. Ad, nostro et totius Conuentus nomine co-
 ram publico Notario et testibus fide dignis, et adhoc singulariter rogatis et
 requisitis comparendum, et de præmentionato Actu præstationis Iuramenti,
 et eius sumpta et facta notula sive ingrossatione, nobis inscijs, absentibus et
 inuitis per partiales Secretarios et familiares dicti Domini Archiepiscopi con-
 scripta, solemniter et formaliter protestandum, aliaque omnia et singula fa-
 ciendum, agendum, gerendum et exercendum, quæ in præmissis et circa ea
 necessaria fuerint, seu quomodolibet nos ipsi, si præsentes essemus, hoc in ne-
 gotio protestationis facere, agere, gerere, et exercere possemus et deberemus;
 Promittentes totum id, & quidquid per dictum nostrum Procuratorem & spe-
 cialem constitutum nostro & Abbatia nostra nomine actum, factum & ge-
 stum fuerit, vel fiet, ratum & gratum habituros, cum consuetis & solitis clau-
 sulis de relevando, & sub hypotheca omnium Conuentus nostri bonorum,
 in quantum ad hunc actum protestationis necessaria. In cuius rei testimo-
 nium eidens, speciale, præsens constitutionis nostræ mandatum subscripti-
 mus, Datum in Imperiali nostro Monasterio Sancti Maximini, die vigesimo
 quarto mensis Octobris, Anno Christo nato millesimo sexcentesimo vigesimo
 sexto, subscriptum Fr. Agritius Electus Sancti Maximini, Fr. Michael Pratz
 Prior. Declarans & exponens, quod cum ab Anno Millesimo quingentesimo
 quadragesimo, Domini Archiepiscopi & Principes Electores Treuren-
 ses diuersis moeis præfatam Abbatiam Ecclesia Treuirense incorporate stu-
 duerunt, & multos actus clandestinos & artificiosos conscribi procurarunt,
 in præiudicium status, conditionis, qualitatis, priuilegiorum, immunitatum
 & exemptionum dictæ Abbatia, aliaque plurima vi, clam & precario fece-
 runt, ex quibus postmodum actus possessorios inferre voluerunt, non atten-
 dentes notoriā Iuris dispositionem, quod ex similibus nulla possessio con-
 stitui aut inferri possit, in præiudicium Sacti Romani Imperij, cuius insigne
 membrum antenominata Abbatia esse dico scitur, sed talia proprio nomi-
 ne, usurpationes, arrogationes & inuasiones Iurium Sacri Imperij vocantur,
 & vocari debent, eoque non obstante manu armatâ eadem tueri conati sunt,
 dictæque Abbatia, si non totalis, saltem maximæ ruinæ causâ fuerunt, & im-
 posterum fuissent, nisi tercia Augusti ultimo elapsi in Consilio aulico sive Im-
 peratoria Maiestatis lata sententia in causâ quondam Domini Lotharij, nunc
 Philippi Christophori Archiepiscopi Treurensis Sacri Imperij Principis E-
 lectoris ex vna, contra & aduersus etiam quondam Dominum Reinerum,
 nunc Agritum Abbatem dicti Sancti Maximini, & eiusdem Monasterij sub-
 ditos ex altera partibus, dictam Abbatiam membrum immediatum eiusdem
 Imperij esse declarasse, qua declaratione prædictorum Dominorum Archi-
 episcoporum non fundata intentio satis superque detegitur, Nihilominus
 quandoquidem Domini Archiepiscopi inter alios actus, vnum in quibusdam

Re.

Registris suis inscriperunt, per quem irrefragabiliter sperabant iniustas suas prætensiones colorare & probare, nimirum quod subditi dictæ Abbatiae Archiepiscopis Iuramentum fidelitatis præstiterint, tanquam ipsorum supremo Domino, vulgo Landfürst etiam si tenor notarum hac de re in dictis Registris scriptarum non conueniat, sed sint admodum dissonæ, & ab ultimis annis solummodo pro vniuersiusque dictamine, qui notas tales tenuerunt conceperæ, sicuti in processu per antedictam sententiam decisò demonstratum est; quia tamen statim post electionem moderni Domini Archiepiscopi Philippi Christophori transactio quædam facta fuit inter eundem, & Consilium Regium Ducatus Luxemburgensis, nomine Regiæ Maiestatis tanquam Ducis Luxemburgensis, eoque nomine dictæ Abbatiae Protectoris hereditarij super difficultate mota, ratione præstationis prætensi Iuramenti, quod dictus Dominus Archiepiscopus sibi præstari debere prætendebat, tanquam dictæ Abbatiae & eiusdem subditorum supremo Domino, vulgo Landfürst, Consilium autem antefatum in eo consentire recusabat, & sustinebat nullum Iuramentum à subditis Abbatiae Imperialis Sancti Maximini Archiepiscopis præstandum, præter id, quod omnes, qui cuiusdam Confœderationis communiter Herschau nominati sunt confœderati, & membra præstare consuerunt, videlicet quod Archiepiscopo obediunt tanquam dictæ confœderationis capiti, in omnibus, quæ conditions eiusdem confœderationis concernunt, sine & absque eo, quod hac de causa Archiepiscopum pro suo Domino supremo recognoscant, aut recognoscere debeant, utpote, qui alium Dominum supremum non habeant aut recognoscant, quam Sacrum Romanum Imperium, sicuti sunt dictæ Abbatia Sancti Maximini, Item Abbatia Sancti Salvatoris in Prume, & alij Principes & Comites antenominatæ confœderationis socij. Neque certo constat quid de præstito dicto Iuramento à subditis Sancti Maximini Dominus Archiepiscopus & Elector Philippus Christophorus mandauit in Registris suis annotari, Anno Millesimo, Sexcentesimo, vigesimo tertio, quando in Archiepiscopum electus fuit, & vtrum antedictam transactiō obseruauerit, verendumque ne aliter scriptum sit, quam conuentum, & postea in præstatione Iuramenti actum fuit; Ex quo notorium est, quod præfati subditi clarissimè protestati sunt, non intendere se præstare aliquod Iuramentum dicto Domino Archiepiscopo, tanquam Archiepiscopo, sed solummodo tanquam memoratæ confœderationis capiti; Ideo præfatus Clarissimus & consultissimus Dominus Ioannes Fellerus Pratz, qualitatibus, quibus supra expressè, & quam solemnissimè potuit, protestatus est, quod si futuris temporibus aliud notatum inueniretur in dictis Registris, quod talis nota Reuerendis & Venerabilibus Dominis Abbatii, Priori & Conuentui præiudicari non debeat, & eandem pro nullâ, inualidâ, & authoritate priuata Domini Archiepiscopi Philippi Christophori fabricata habeat, & teneat haberi, & talis ab omnibus teneri debeat, & nullatenus Dominorum suorum principalium & subditorum Iuribus, qualitatibus, prilegijs, exemptionibus & immunitatibus præiudicari, De quibus omnibus & singulis præmissis, Idem constitutus Dominus Procurator & negotiorum gestor, petijt sibi à me Notario infra scripto unum aut plura Instrumentum & Instrumenta conscribi. Ata fuerunt & sunt hęc in Pago Bous, prope Remich in Ducatu Luxemburgensi sito, præsentibus ibidem eximijs Dominis Melchiore de la Val Officiato in Ehnem, & Domino Ioanne Wiltzio Officiato Baronum de Chrichingen in Pittingen, testium ad præmissa

specialiter rogatorum; Anno & die ut supra, &c. Et quia ego Ioannes Bre-
dimus sacrâ Imperiali autoritate, & à Regio Consilio Luxemburgen-
si approbatus Notarius publicus & Scriba Iuratus in Remich, omnibus &
singulis, vti præmittitur, dum sic fierent & agerentur, vna cum prædictis
testibus præsens & rogatus interfui, eaque sic fieri vidi, audiui & in notam
sumpsi, ideo exinde præsens publicum Instrumentum manu propria scripsi,
subscrispsi, signoque mei Notariatus solito, nomine & cognomine communi-
ui in fidem ad hæc specialiter requisitus. Actum in dicto Bous, Anno Men-
se & die ut supra.

83.

*PHILIPPI QUARTI REGIS HISPANARUM Diploma Datum & Anno
MDCXXIII.*

PHILIPPVS DEI gratia Rex Castellæ, Legioniæ, Arragoniæ, vtriusque
Siciliæ, Hierosolymæ, Portugallia, Navarriæ, Granatiæ, Toleti, Valen-
tiæ, Galiciæ, Maioticarum, Siuilia, Sardinia, Cordubæ, Corsicæ,
Murciæ, Iahen, Algarbiæ, Algesia, Gibraltar, Insulatum Canariæ, India-
rum, tam Orientalium quam Occidentalium, Insularum & terræ firmæ, ma-
ris Oceani. Archidux Austria, Dux Burgundia, Lotharingia, Brabantia,
Limburgi, Luxemburgi, Geldriæ & Mediolani, Comes Habsburgi, Flandriæ,
Arthesiæ, Burgundiæ, Tiroli, Palatinus & Hannoniæ, Hollandiæ, Zee-
landiæ, Namurci & Zutphaniæ, Princeps Swæuia, Marchio Sacri Imperii
Romani, Dominus Frisiæ, Salinaram, Mechliniæ, Ciuitatum, Oppidorum
& Territorij Traiecti, Transulana & Groningæ, nec non Dominator in
Asia & in Africa. Omnibus præsentes litteras visuris salutem. Cum ex por-
recta nobis supplicatione Reuerendi Patris, Abbatis, & deuotorum nobis in
Christo dilectorum Religiosorum Prioris & Conuentus Monasterij SANCTI
MAXIMINI in suburbio Ciuitatis Treuerensis, ordinis Sancti Benedicti
nobis innotuerit, qualiter præfatum Monasterium, à Diuis Romanorum
Imperatoribus, antiquissimè fundatum, varijsque iuribus, dominijs, pos-
sessionibus, priuilegiis, exemptionibus, prærogatiis & libertatibus, decora-
tum & dotatum fuerit, quodque Illustres Prædecessores nostri, Dukes
Luxemburgi & Comites à Chiny ex speciali priuilegio Imperiali, Aduoca-
tiam supremam ipsius Monasterii diutissimè commissam obtinuerint, atque
illud Monasterium in Capite, & in membris, eiusque homines, bona, redi-
tus, ac Iura ipsorum, siue in Ducatu Luxemburgensi, siue extra sita sint,
contra iniuriam, turbationem, violentiam, aut molestiam quoruncunque
vel cuiuscunque status aut præminentiae essent, protegere, manuteneri,
defendere, & à grauaminibus, violentiis, oppressionibusque conseruate con-
fuerint: Tum etiam quod in eundem finem Philippus Secundus (glori-
osa memoria) Dominus & Aius noster, litteris Patentibus nona lunii, An-

no